

atque magnopere charus. is , quod omnia Turcarum instituta callebat , ea de re Zancanum admonuit , atque uti fœdus verbis Thraciis conscriptum haberet , pro sua in patriam charitate illum est hortatus . Zancanius re tentata cum nihil efficere potuisset , cum fœdere latinis scripto literis ad urbem rediit : neve nihil videretur attulisse , id quod ab Gritto ea de re Byzantii accepisset , Senatui reticuit .

Ea fœderis tam propensa renovatio magis etiam suspensos Patres fecerat , existimantes ea de causa regem sua consilia suppressisse , ut eos imparatos atque inermes adoriretur , præfertim quod missæ ad illum a Ludovico atque a Florentinis communi consensu paulo ante legationes multa de Senatu questæ , nihil eorum quæ regis animum in rempublicam inflammare possent , prætermiserunt . Quamobrem ut muniti ad omnes casus essent , Senatus decrevit , uti naves onerariæ bellicæ tres confestim ornarentur , eisque præfectus legeretur : lectusque est Aloisius Marcellus : uti navis item oneraria magna , quam Sebastianus Marcellus ædificari sibi curaverat , quæque Naupliæ tunc erat , armaretur , clausique adjungeretur : literæque ad illum publice datæ , ut Corcyram navem adduceret : uti naves triremes triginta deducerentur : quarum navium decem ipsa in urbe , totidem Cretæ , sex in Apulia , quatuor in Illyrico magistratus Veneti remigibus atque militibus instruerent . pauloque post decem aliæ triginta prioribus sunt additæ . At Aloisio rege Galliæ salutato , uti supra dictum est , legati sunt ad eum ire jussi tres gratulatum reipublicæ nomine , Antonius Lauredanus , Nicolaus Michaeles , Hjeronymus Georgius . Missæ deinde ab Senatu regi dono aquilæ in Creta insula captæ sexaginta ex earum genere , quibus in aucupio reges uti consueverunt : pellesque pretiosiores canis ab summo inter nigrum colorem conspersæ ducentæ : quæ ille munera vultu lœtissimo accepit , egitque de iis Senatui gratias apud legatos , cum jam ii ad illum pervenissent . Sed ea dum ad regem legatio proficiuntur , Triultius , qui se

*H. Bembi.*

K 3

Astæ